Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1555
Quelle:
Copyright:

troverſiam *Utraquiſticam* Concilii tempore agitatam, et ab *Herm. v. d. Hardt* vulgatam T. III. *Actor.* Legitur enim ad calcem Tractatus noſtri: *Anno d. 1415. Conſtan. dum iſta materia in generali concilio tractaretur.*

II. *fol.* 10. *Quaeſtio*, ut e calce liquet, *Veſperiarum a. 1410.* Erant vero *Veſperiae* ultima Diſputatio Academica pro conſequendo Doctoris gradu, more ab Academia *Pariſina* ad *Viennenſem* translato, ut patet *Tit.* XVI. *Statut. Facult. Theol.* vulgatorum a *Lambecio* L. II. c. 5. p. 125. repraeſentatorum a *Kollario Analect. Vindob. T. I. col.* 127. ubi habes: *Poſthæc Veſperiæ Licentiati ſecundum modum Pariſiis conſuetum, quem hic recipimus, ſic fiant* &c. Praeſens porro Quaeſtio ſic orditur: *Vtrum in Sacramento altaris ſit aliquid ſubſtantie panis. Decidendo propoſitam mihi queſtionem ipſam diuido in tres articulos.* &c. Primo referuntur Errores veteres et recentiores, altero ſtabilitur Dogma Catholicum, tertio Errores confutantur. *Quartus* Noſtro *et nouiſſimus* error *eſt quorundam modernorum, quem cum ſuis apparentiis et motiuis ſub proteſtacione recitat, ſine tamen eius aſſercione Magiſter Stanislaus* (de Znoyma) *in tractatu quem prage de preſenti conſcripſit materia — panem et vinum poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum ſed eciam verum Corpus et ſanguinem Do. no. ie. chriſti eſſe*, diſſimulata videlicet Transſubſtantiatione. Tractatum, ad quem hic alluditur, dabimus *Cod.* DXC. *Petrum de Pulka* ipſum *Veſperiandum* fuiſſe, e *Locheri Spec. Acad. arguo;* cum enim in primo Rectoratu ſuo Academico a. 1407. nonniſi *Baccalaureus formatus in Theologia* dicatur, in altero a. 1411. jam *ſacrae Paginae Doctor* audit.

III. *fol.* 24. Actus Doctoris recens creati. Initium: *Iuxta laudabilem ordinacionem et ſtatuta venerabilis matris noſtre facultatis Theologice in actu preſenti ſunt quatuor per ordinem proſequenda. Primum quidem habeo breuiſſimam lectionem premittere. 2°. queſtionem aule mee reſumendo diſputare. 3°. baccalaureis noſtre facultatis arguendi loca diſtribuere et 4° eandem queſtionem determinare.* Adi *Statuta* ſupracit. *Tit.* XVII. ubi leges: *Debinc poſt principium Studii ſequentis anni, vel quandoque prius diſputat* (novellus Doctor) *de reſumpta, et tunc ad eandem quæſtionem, quam in aula diſputavit, ſibi reſpondet unus Curſor vel Baccalarius, contra quem poſt eum arguunt omnes Baccalarii formati. — Poſt hoc iterum ipſemet Magiſter eandem quæſtionem — determinat.* Vides omnia e praeſcripto acta, cumque tota Tractatio rurſus fit de Sacramento Altaris, non incongrue et ipſa ad *Petrum de Pulka* referetur.

IV. *fol.* 38. Actus *Veſperiarum.* Initium: *In nomine ſanctiſſime trinitatis* &c. Loquitur Magiſter praeſidens: *Preſens veſperiarum*